



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XIX. De Prædestinatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

ducendum esse ad ens per essentiam, non tamen eodem modo; quia licet Deus rectè & merito prædeterminet ea omnia quæ se solo facturus est, non tamen æquum est ut se solo, & non attendendo ad exigentiam voluntatis creatæ, eam prædeterminet ad omnes actus sive bonos, sive malos qui in tempore ab ea prodituri sunt. Neque propterea sequitur multa esse prima principia, quia etsi voluntas creata non indigeat prædeterminari ad agendum, nihil tamen sine intimo Dei influxu conservante & cooperante operari potest, quod repugnat rationi primi principii. Plura ad has duas Resolutiones spectantia videnda sunt in suavi Concordia *disp. 2.* Ubi præcipua incommoda quæ ex physica prædeterminatione sequuntur latissimè tractavimus: omnesque adversariorum evasiones, quibus argumenta nostra eludi possunt, satis accuratè, pro tenuitate nostra occupavimus.

CAPUT XIX.

De Prædestinatione.

RESOLUTIO I. *In Deo de facto admittenda est aliorum prædestinatio.*] EST DE FIDE, probaturque primò ex Script. *Rom. 8.* Quos prædestinavit, hos & vocavit: *Et Ephes. 1.* Prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Mitto loca quæ testantur aliquos à Deo esse electos, aut eorum nomina scripta esse in cælis; ex his enim & similibus apertè deducitur prædestinationis existentia, sicut ex innumeris Patrum testimoniis, quæ hîc recensere superfluum foret.

Secundò idem ratione ostenditur, nam prædestinare est ab æterno aliquibus destinare certa media, per quæ vitam æternam efficaciter consequantur; atqui Deus ab æterno nonnullis ejusmodi media destinavit, ergo & eos prædestinavit. Probat minor, nam de fide est aliquos pervenire ad finem ultimum
vitæ

vita æternæ, idque per auxilia supernaturalia & efficaciam ipsis à Deo concessa; Deus autem est agens per intellectum & voluntatem, nihilque agit in tempore nisi quod se acturum ab æterno decrevit.

Nota prædestinationem non tollere libertatem, quia licet posita prædestinatione necesse sit in sensu composito prædestinatum salvari, ea tamen necessitas non est antecedens, sed consequens, cum supponat aut præscientiam absolutam perseverantiæ finalis, aut certè scientiam conditionatam qua Deus novit Petrum, per talia auxilia alioqui repudiabilia, & minimè prædeterminantia salvandum, si illi dentur. Quinam autem ex his modis sit probabilior, constabit ex sequenti capite.

RESOLUTIO II. *Prædestinatio est decretum absolutum quo Deus ab æterno aliquos homines vel Angelos elegit, seu destinavit ad vitam æternam; per certa media supernaturalia quæ novit effectum habitura, infallibiliter consequendam.] Ex qua definitione nonnulla colligi debent.*

Primo prædestinationem esse aliquem actum in Deo ab æterno existentem, per quem Deus intrinsicè denominatur prædestinans, creaturæ verò rationales extrinsicè prædestinatæ; ita ut subjectum, aut quasi subjectum prædestinationis sit ipse Deus, objectum vero illius sint Angeli, & homines qui de factò salvantur.

Collige secundo, ad prædestinationem requiri non modo actum intellectus, sed etiam actum voluntatis, ut patet, quia videt Deus per quæ auxilia possint salvari multi homines, qui tamen non sunt prædestinati: quare ut aliquis dicatur à Deo prædestinari, præter notitiam illam requiritur actus voluntatis, quo Deus statuit eum transmittere ad vitam æternam per talia media. Unde quia talis actus est liber, prædestinatio in Deo est absolutè libera, esto scientia illa præcedens sit necessaria, saltem supposita veritate objecti.

Collige

Collige tertio, in quo prædestinatio & providentia conveniant, & discrepent inter se: conveniunt quod providentia etiam complectitur actus intellectus & voluntatis, ut patet ex supradictis: discrepant verò, tum quia materia providentiæ latius patet quàm prædestinationis, tum quia prædestinatio suum finem particularem in quolibet prædestinato infallibiliter obtinet.

RESOLUTIO III. *Varii sunt errores circa prædestinationem ad gratiam.*] Ut alios omittam, pauca hinc de Pelagianorum & Semipelagianorum errore dicenda sunt.

Quod spectat ad errorem Pelagianorum, unum est certum, & aliud de quo controversatur. Certum est Pelagium ejusque sequaces aliquando docuisse. *Primo* hominem ex solis naturæ viribus, sine ulla gratia interna vera & supernaturali, posse omnia præcepta servare, & salutem consequi. *Secundo* ideo hominem esse prædestinatum, & electum ad gloriam, quia prævidit Deus eum bene operaturum naturæ viribus, nullo internæ gratiæ auxilio suffultis.

Est autem dubitatio inter recentiores, an ipse Pelagius postea hunc errorem, saltem ex parte retractaverit, ad eò ut veram gratiam internam ordinis supernaturalis admiserit. Recentiores Thomistæ affirmant, existimantes eum tandem post varias disputationes cum August. habitas, agnovisse gratiam ad posse, quam ponebat in apertione, seu illuminatione oculorum cordis, & in suscitatione stupentis voluntatis, aliisque id genus monitionibus quæ spectant ad gratiam sufficientem, nunquam tamen admisisse gratiam efficacem, qua Deus facit, ut infallibiliter bene operemur.

Oppositum tamen est verius, nam etsi interdum Pelagius verbis magnificis gratiam commendaverit, nunquam tamen ex animo pristinum errorem retractavit, ut patet ex Aug. toto ferè *lib. de gratia Christi*, speciatim *cap. 3. 4. 6. 7. 9. 41. & 42.* ex quibus manifestum

stum est prædictum hæreticum conatum esse, variis verborum involucris suum errorem obtegere, & nomine gratiæ nunquam intellexisse veram gratiam internam & supernaturalem, sed tantum liberum arbitrium à Deo gratis collatum, itemque legem & doctrinam externam, qua naturam juvari dicebat.

Unde Pelagius per illuminationem oculorum & suscitationem stupentis voluntatis, nihil aliud intellexit quàm legem externam quatenus hæc docet quæ agenda sunt, & quantum est ex se, objectivè excitat voluntatem nostram, præmia aut pœnas proponendo, ut bene operemur, & peccata fugiamus.

Quod attinet ad errorem Semipelagianorum, seu Massiliensium, ii dicebant. *Primo*, nos posse propriis viribus naturæ bene incipere quoad negotium salutis, non tamen opus inchoatum perficere, sine Dei auxilio. *Secundo*, illud initium à nobis appositum advocare, & aliquo modo mereri adjutorium gratiæ, necessarium ad bene operandum & perseverandum. *Tertio*, Deum nos prædestinare ad gratiam & gloriam, propter tenuem illum conatum à nobis appositum.

*Dubitat*ur autem de quo merito, & de qua gratia Semipelagiani loquerentur. *Respondeo 1.* Eos locutos de merito imperfecto, quod congruum, appellari solet, non autem de merito condigno, ut liquet ex August. lib. de prædestinatione SS. cap. 2.

Respondeo 2. Eos debere intelligi de gratia adjuvante interna & supernaturali, nam cum excluderent gratiam propriè prævenientem, si ulterius negassent adjuvantem, nullum actum supernaturalem potuissent agnoscere, & consequenter debuissent negare gratiam sanctificantem; sicque quoad negotium salutis jam ex toto essent Pelagiani, & non Semipelagiani.

RESOLUTIO IV. *Ex parte prædestinati non datur causa prædestinationis ad primam gratiam.*] RATIO est, quia ex fide, non potest homo mereri primam gratiam,

tiam, ergo neque ut prædestinetur ad illam: confirmatur ex verbis illis *Apostoli 1. Corinth. 4.* Quis enim te discernit? &c. Hinc enim colligitur hominem non esse causam illius discriminis, quo prædestinatus distinguitur à non prædestinato, sed meram misericordiam Dei tale discrimen inter utrumque constituentis: quod falsum esset, si homo naturaliter Deo præberet motivum, seu rationem eum prædestinandi præ alio; ad gratiæ auxilia quibus salus comparatur.

Quo loco advertet 1. Jam dicta ita debere intelligi, ut nequeat homo mereri prædestinationem, per opera antecedentia primam gratiam actualem, eo quòd quidquid talem gratiam præcedit, est ordinis naturalis, adeoque nimis leve & improportionatum, ut possit esse meritum, sive condignum, sive etiam congruum respectu primæ gratiæ, aut prædestinationis ad illam.

Dices, cur non potest homo mereri primam gratiam de congruo, cum peccator gratiam justificantem gratis recipiat, et si eam mereatur de congruo? *Resp.* Causam discriminis esse, quia cum peccator intrinsecè sit indignus gratia sanctificante, meritum congruum illius operibus aliunde, nimirum ex Spiritus sancti auxilio, adveniens, non impedit quin gratis justificationem obtineat. At verò si homo ex meritis naturæ viribus mereretur de congruo primam gratiam, jam ille secundum se, & ex personæ conditione haberet proportionem connaturalem cum tali præmio, quod proinde gratis illi non daretur.

Advertet 2. Sententiam quæ refert primæ gratiæ collationem, in bonum usum ejusdem gratiæ prævisum, nihil habere commune cū errore Semipelagianorū: illi enim affirmabant 1. Hominem prædestinari ad gratiam, ex præviso bono usu solius liberi arbitrii, nulla gratia præventi 2. Parvulos prædestinari propter opera bona quæ fecissent, si ad ætatem adultam

adultam pervenissent, adeoque propter opera absolute nunquam futura; prædicta vero sententia agit tantum de meritis ab ipsa gratia ortis, quæque absolute futura sunt, licet prævideantur sub conditione. Fatemur tamen sententiam illam parum habere probabilitatis, cum vel solo exemplo Tyrionum satis ostendatur, merita conditionata Deum non movere ad conferendam gratiam.

CAPUT XX.

De electione & reprobatione.

RESOLUTIO I. *Probabilior est sententia, qua docet, electionem efficacem ad gloriam factam esse antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum, adeoque esse merè gratuitam.* RATIONES variæ sunt, & non spernendæ, quibus id suadetur. *Prima*, negari non potest quin Scriptura ei valde faveat plerisque in locis, ac speciatim *Sap. 4. Matth. 24. & Ioan. 10.* Ubi agitur de speciali cura quam Deus exercet erga prædestinatos dando operam ut à gratia finaliter non excidant; hinc enim aperte colligitur perseverantiam finalem esse effectum electionis, non autem causam illius. Favet etiam Paulus *Rom. 8.* aliisque locis agnoscens quandam vocationem propriam electorum; quam vocat secundum propositum, quia Deus eam tribuit prædestinatis ex efficaci proposito eos salvandi; & *cap. 9.* tradens discretionem Iacob electi ab Esau reprobo non ex eorum operibus, sed ex mera voluntate Dei, quem ait se habere instar figuli, facientis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.

Secunda, quia ut etiam fatentur nonnulli auctores sententiæ oppositæ, Augustinus apertissime locis prope innumeris ita comparat electionem efficacem ad gloriam, cum finali perseverantia, ut velit hanc esse effectum illius; ita ut alicui tribuatur perseverantia, quia ad beatitudinem electus est, & non vice versa ille eligatur, quia perseveraturus est: unde

cor-